minam curiosius contemplatus, captivus factus est. vicit et perijt,
cui nihil admodum ad cumulum felicitatis deesse videbatur, uno
contuitu stratus fuit et abiectus; è puro incestus, ex inno-
cente reus, è libero servus libidinis, è Dei amico hostis,
ex opulento spoliatus et miser evasit! Quid est si oculus ne-
quam non est. Deus immortalis! quae lorica constantiae tam
est fidelis, ut isto cupidinis telo non perfodiatur? quae virtutis
arx tam est altè aedificata, ad quam ignea haec veneris sa-
gitta non pertingat? quae sanctitatis munitio est tam in-
expugnabilis, quam multiplex ista vitiorum aries non labefac-
tet? quis Samsone fortior, quis Salomone sapientior? quis Da-
vide Sanctior? sed, ut audistis, nonne unus oculus hos vicit,
expugnavit, superavit? quin imo nec ipsa cunabula fur iste
intacta, inconcussaque relinquit, sed ipsam quoque innocentem infan-
tiam veneno suo inficit ac depravat? quid enim est hoc?
Aliquando iuvenis Anachoreta cum Abbate suo urbe ingressus
ubi mulieres vidit; cuius modi eae res essent, sollicitè ab Ab-
bate quaesivit: cui Abbas, anseres esse respondit. reversus pue-
rulus in claustrum incessanter flere coepit! ad quem Abbas:
quid vis fili mi? at ille: volo anserem, pater mi, quem in Civi-
tate vidi. Qua petitione conterritus Abbas, ad suos paucis hoc
habuit, oculos diligenter clauderent, cum etiam innocens

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 179r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/179r)